



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Afflictio Consolans, Seu Svccincta Non Minvs Ac Clara Methodvs**

**Wintrich, Victor**

**Coloniæ, 1644**

Discvrsvs III. Quia venit Rex præclarè doctus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45734)

*stitia & sanctificatio & Redemptio. Vide  
Bernard.*

*Ser. 22.*

---

## DISCURSVS III.

*Benedictus qui venit in nomine  
Domini. Matth. 21.*

Quia venit Rex præclarè do-  
ctus.

**O**stendi in priori discursu, quo-  
modo Reges generaliter boni ef-  
se debeant, vt sicut malorum  
Principum malitia subditis nocet, sic  
bonitas eorum profit, Christumq; verè  
benedictum fuisse, ob cuius bonitatem  
& merita subditis à Patre offensa dimis-  
sa est & condonata.

Docebo hinc Christum benedicendum  
meritò, quia venit vt Rex gnarè  
doctus.

Dicendorum erit ordo,  
Primò, necessariò Principes doctos  
requiri,



Secundò , nocumenta indoctorum.  
Tertiò , Christum Regem doctissimum.

PRINCIPES ET REGES  
ERVEDITI SINT.

Bias , in suis (quas Prienæis reliquit) legibus, & hanc habet:

*Nemo Priensium Gubernator legitur, nisi præclarè sit litteris Græcis eruditus, nulla enim maior est Reipublica pestis, quàm sapientiâ prudentiâq; Gubernatorem destitui.*

Apud antiqui ævi Principes, & doctrina & docti in honore erant; tanta enim, teste Guarra, fuit Philosophorum in aulis authoritas, ut illos filij Patrum loco haberent, Patres Magistrorum instar venerarentur.

Hinc Alexander, plus se Aristoteli, quàm Philippo debere, ingenuè professus est, quippe quòd ab illo bene esse, ab hoc esse solummodo haberet.

Hinc Augustus Imperator, Pysum Philosophum præ omnibus charum habuit, sicut Pompeius Plautum ob sapientiam summè venerabatur. Nunquid  
opu-



opulentissimus ille Lydiorum Rex Croesus, ut Anatharsis doctrinam imbueretur, eiusque sapientiam in regni negotiis uteretur, insignem Athenas legationem misit, magnifica donaria addidit. Et ut venire non retardet, per Deos illum obtestatus est immortales: Per Deos, inquit, te obtestor immortales, quatenus ad me venire non tibi difficile sit, thesaurorum meorum Dispensatori, negotiorum meorum Consiliario, inimicorum meorum Secretario, filiorum meorum Patri, Reformatori Imperij, Personae meae Regiae Governatori & Praefecto, Procuratori boni publici, in summa ex Anatharsi Croesus futuro.

Notum est illud Socratis celeberrimum dictum & apta similitudo, qua necessitatem eruditionis in Principe ob oculos ponit; dicere namque solebat: Cum artes manuarum nemo exerceat, qui eas non didicerit, nec quisquam aliquid faciendum locet ei, qui eius officij sit plane ignarus, perperam ad publicos Magistratus admitti eos, qui rerum omnino rudes essent.

Et sacrae hoc strictè mandant litterae.



vt qui ad populi gubernacula assumuntur, eruditi sint. Cùm Israëliticæ gentis Princeps Moyses Imperij sortem ob oneris grauitatem in alios partiri vellet, audi quales ad hoc sibi idoneos reputauerit, sic ad populum loquitur: *Non possum solus sustinere negotia vestra & pondus & iurgia: Nunc igitur date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis Principes.*

Deut. 1.

*sum solus sustinere negotia vestra & pondus & iurgia: Nunc igitur date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis Principes.*

Et Psalmista quàm fideliter Magnates ad suscipiendam disciplinam & capefcendam eruditionem hortatur: *Et nunc, inquit, Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.*

Psal. 2.

*inquit, Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.*

Et Salomonis non spernendum ad sapientiam incitamentum, Reges, quæso, capescant: *Diligite, inquit, sapientiam, omnes qui præestis populis.*

Sap. 6.

Et quia in hoc eiusdem Sapientis capite, necessaria non minus quàm vtilia, Principibus ad doctrinam acquirendam adduntur calcaria, non cum tædio his infero pleraque: *Melior est, inquit, vir prudens, quàm fortis, & sapientia, quàm vires. Audite ergo Reges, & intelligite*

gite



gite, discite iudices finium terra, praebe-  
 aures vos qui continetis multitudines,  
 quoniam data est à Domino potestas vo-  
 bis, & virtus ab Altissimo, qui interroga-  
 bit opera vestra, & cogitationes scrutabi-  
 tur, quoniam cum essetis ministri regni e-  
 ius, non rectè iudicastis, nec custodistis le-  
 gem iustitia, neque secundum voluntatem  
 Dei ambulastis.

Quomodo, quæso, ignorantes rectè  
 iudicabunt? Quomodo custodient le-  
 gem, quam discere contempserunt?  
 Quomodo secundum voluntatem Dei  
 ambulabunt, qui cor suum sapientiæ  
 subdlexerunt? Ideo eos hisce inclamat:  
 Ad vos ergo, Reges, sunt hi sermones mei,  
 ut discatis sapientiam, & non excidatis:  
 qui enim custodierint iusta iustè, iustifica-  
 buntur, & qui didicerint ista, inuenient  
 quid respondeant. Concupiscite ergo ser-  
 mones meos, diligite illos, & habebitis di-  
 sciplinam. Clara est, & quæ nunquam  
 marcescit, sapientia; & facile videtur ab  
 his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his,  
 qui querunt illam: & plurima addit in  
 laudem sapientiæ, & animos Principum  
 ad eandem inuitandos.



Ex quibus licet luce elarius pateat, quam utilis in Rectore scientia, quam necessaria sit & proficua Communitati, hoc tamen exemplum addo, quo irrefragabiliter, quam ex sapientum Regum sapientia populis grata, salubria & iusta procedant iudicia, conuincatur.

3. Reg. 5. Anne de Israëlis & Iudæ Rege, dum sapientiam colebat (Salomonem intellige) iustissimum, utile, omniumq; ore commendatissimum procedebat iudicium, dum veræ matri carum pignus, prolicidæ determinat pœnas? Nunquid omnium hæc vox: *Benedictus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum super populum.*

Benedictus igitur Salomon, sapientiam colens. Benedicti Principes post illum, eandem vt sororem amplexantes, locoq; amasiæ habentes.

DAMNA CREANT INERVDITI  
PRINCIPES.

Quid autem & quantum damni Reipublicæ inducant ignari Principes, dum sapientiam spernunt; heu suo, suorumq; irrecuperabili detrimento idem Salomon



mon testatum reliquit. Vnde enim Dei super Israël accensus est vindictæ furor? vnde concitatus furoris zelus? vnde in regno turbæ, simultates & postrema defectio? vnde inimicorum incurfus & bella? vnde armorum pavor & clangor buccinæ, in pacifico aliàs & pacatissimo Imperio? Nunquid quia infatum est cor Salomonis?

Quid, quæso, notatu dignissima sua similitudine Christus cæcum cæcum ducentem producens, aliud quàm damna in Republica ex imperitorum Regum moderamine emergentia ostendere voluit, dum subiungit: *Nonne ambo in foueam cadunt?* *Matt. 15.*

Non ineptè hic addes celeberrimum illud Socratis dictum suprâ narratum, quo absurdum esse aiebat, cùm artes manuaras nemo exerceat, qui eas non didicerit, nec quisquam faciendum aliquid locet ei, qui eius opificij sit planè ignarus; ad publicos verò Magistratus admitti eos, qui rerum omnino rudes sunt.

Optimè ad rem nostram Nicomachus *In Tacit.*  
Vopiscus apud Vopiscum: *Imper.*  
Dij, ait, auer-  
tant



tant, Principes pueros, & Patres patriæ dici impuberes, quos ad Consulatus dandos dulcia & circuli & quæcunque voluptas puerilis inuitet. Fingunt Poëta Phaëtonem puerum à patre Sole petijſſe currus eius aurigationem; cui pater: Magna petis Phaeton, & quæ non viribus istis Conueniunt. Extorſit tamen; at quantum orbi dedit imperitus incendium? Tales fuerunt sub Christo insipientes & indocti Scribæ, Principes Sacerdotum & populi. Tales erant post Christum factioſi illi Zelotæ, qui ſuis temerarijs ſeditionibus & cædibus, magis urbem ſuam & Ciues perdiderunt, quam

*Lib. 5 & 6* Romani, teſte Iosepho. Sicut ergo tales *hell. Iud.* verè maledicendi, ſic Chriſtus doctiſſimus Princeps ab omnibus benedicendus venit. Hunc intueantur, hunc imitentur Principes, eiusq; quàm ſana fuerit doctrina, auſcultent; & benedicti erunt, paceq; fruuntur.

CHRISTVS PRINCEPS APPRIME  
DOCTVS.

Sicut de Iudæ Regum paucis, de Iſraelis nullo, dici poteſt, quòd fuerit



instructus scientia Sanctorum ( sicut quippe solummodo inter Reges Iudæ reperiuntur, qui propriam sapuerint salutem, nullus verò Regum Israelis ) sic solum præ omnibus his Christo acclamabimus : Benedictus qui venit in nomine Domini.

Doctrinam eius nosse desideras? vide alium Regem Salomonem 12. ætatis anno, immò ab instanti Conceptionis, sapientia repletum, alios stupore replentem. Sic habes : *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius.* Luc. 2.

BENEDICTVS ERGO QVI VENIT  
IN NOMINE DOMINI.

Vide & audi Doctores Legis, & ipsos Pharisæos attonitos dicere: *Vnde hic literas nouit, cum non didicerit?* Ioan. 7.

*Benedictus ergo qui venit in nomine Domini.*

Vide & admirare, quàm doctè coram Saducæis resurrectionem astruat mortuorum, quàm sapienter statim & Dei honorem & Cæsaris tueatur potestatem. Matt. 22.

*Benedictus ergo qui venit in nomine Domini.*

Vis



*Ioan. 8.* Vis iudiciorum eius cum lenitate iustitiam? *Mulier, ait, nemo te condemnauit? nec ego te condemnabo, vade, & iam amplius noli peccare.*

*Benedictus ergo qui venit in nomine Domini.*

*Ibid.* Vis responforum eius irrefragabilitatem? *Dicunt ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium qui & loquor vobis.*

*Benedictus ergo qui venit in nomine Domini.*

*Luc. 20.* Vis interrogationum inextricabilem labyrinthum? *Baptismus Ioannis de caelo erat, an ab hominibus? At illi cogitabant intra se: Si dixerimus, de caelo, dicent: Quare ergo non creditis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, plebs vniuersa lapidabit nos.*

*Benedictus ergo qui venit in nomine Domini.*

*Eccl. 9.* Verissimè ille, ille est vir pauper & sapiens, qui totius humani generis Imperium, iuxta Sapientis Prophetiam, sua sapientia saluauit. *Erat ciuitas parua, & venit contra illam Rex magnus, & vallauit illam, exstruxitq; munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inuentus est*

*in*



in ea vir pauper & sapiens, & liberauit urbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus hominis illius pauperis, & dicebam ego, Melior est sapientia fortitudine, quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?

Parua hæc Ciuitas Mundus. Rex obfidionem parans Diabolus, hic vndique Mundum cingit superbiâ, auaritiâ, luxuriâ; pugnat & heu frequenter expugnat. Quis enim resistit?

Ecce inuenitur vir pauper quidem, sed Rex sapiens Christus, ille sapientia sua nos liberauit. Sic enim habes: *In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli.* Vallationes superbiæ, iacula & arma inuidiæ, munitiones auaritiæ, luxuriæ proditiones. 1. Ioan. 3o

Ille enim prædicans sapientiam æternam, quæ mundo stultitia erat, *factus est nobis causa salutis.* O igitur beata Christiana Respublica, in qua Philosophus regnat, immò Rex philosophatur. Nunc ergo Reges intelligite, Erudimini vt sitis benedicti, & vobis subditis non sit vanum, neque durum, suaue huius Regis pre- Heb. 5o  
Plato.

pre-



premere iugum, quia eruditus est pro-  
indeq; liberator, & in æternum benedi-  
ctus auctorq; pacis.

---

## DISCVRSVS IV.

*Benedictus qui venit in nomine  
Domini. Matth. 21.*

Quia venit Rex exercitatus in  
prælio.

**O** Stendi suprâ eruditos debere ef-  
se Principes, ni se suosq; in mi-  
seriarum foueam præcipites da-  
re velint, meritoq; Christum Regem be-  
neditum, quia sapientia sua liberauit  
clientes.

Docebo hic Christum ter quaterque  
benedictum, quia exercitium habet bel-  
li, facilèq; hostes debellare potest.

Ordo sit talis :

Primò, requiri experientiam bellicam  
in Rege.

Se-